
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

DISECTATIO MEDICA

IN AGGREGATIS

DE

DYSPEPSIA

ANNUENTE SEPTIMO MENSIS

EX AUSTRIACA UNIVERSITATE MEDICA

D. GEORGI BARRIS S. T. P.

ACADEMIAE MEDICAE VIENNAE

IN AURIS

VIENNAE

AMPLISSIMO SENATUS ACADEMICI

EX NOBILISSIMA FACULTATE MEDICA

PROGRADU DOCTORIS

NUMERUS IN MEDICINA VIENNAE

VIENNAE

D. Y. P. S. I. A.

IOANNES NELSON SCOTT

IN AURIS

VIENNAE

AD AURIS

EDITIONE

APUD BARRIS S. T. P.

ACADEMIAE VIENNAE

VIENNAE

8

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES NELSON SCOTT,

EX

INSULA MONA.

Societ. Reg. Medic. Edinburg. Soc. Extr.

Ad diem 12. Septembris, hora loquoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

PRINCIPI

EXCELSISSIMO, POTENTISSIMO, NOBILISSIMOQUE,

J O A N N I,

ATHOLLÆ DUCI ET MARCHIONI;

TILIBARDINI MARCHIONI ET COMITI;

STRATHTAI ET STRATHERDALIÆ COMITI;

BLANQUIHIDDERI, GLENALMONDII, ET GLEN-
LEONIS VICECOMITI;

MORAVIÆ, BALVANIÆ, ET GASCIÆ BARONI;

FALCOLANDIÆ CUSTODI;

MONÆ ET INSULARUM REGULO;

NECNON

STANLAEÆ IN GLOCESTRIA BARONI MORAVIO;

STRANGLÆ COMITI;

PROXIMO AD DIGNITATEM BARONIS STRANGII,

KNOCKINII QUOD IN PRAEFECTURA SALOPENSI EST,

HAEREDI;

PRAEFECTURÆ PERTHENSIS PRAEFECTO REGIO;

MONÆ REGI VICARIO, PROCURATORI, CANCELLARIO,

STRATEGO, IMPERATORI;

DUARUM MONÆ PRAESIDIARIARUM LEGIONUM

MILITUM TRIBUNO;

OB

BENEFICIA,

IN ILLUM PATREMQUE COLLATA,

HANC DISPUTATIONEM,

GRATI ANIMI

TESTIMONIUM,

D. D. CQUE

JOANNES NELSON SCOTT.

DISTRIBUTION

PRINCIPLES

1880

...

...

DYSPETIC

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

PROŒMIUM.

§ I. **L**ICET omnes voluptates, quae nobis cum belluis communes sint, cultu et scientiis multiplicentur, et appetitus immodici, quos nova moveant incitamenta, iis expleantur artibus, quae luxuriae ministrent; tamen, emollescente civitate, ubi pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, impudicitia, pravae cupidines, luxuria, et inertia invadunt atque vigent, plurimis plectimur morbis, quibus carent imperitae

A

gentes,

gentes, quae, labore famem tolerantés, necdum deditae corporis gaudiis, non per luxum atque ignaviam aetatem agunt.

II. E morbis, quibus homines cultu et artibus emolliti, prae feris et imperitis, opportuni sunt, est is, qui in quadam ventriculi infirmitate consistit, et cui, apud medicos, nomini *dyspepsia* est.

III. Quibus causis enascatur hic (II.) morbus, et quibus notis insigniatur, cognoscere; atque, qua ad sanitatem perducatur ratione, scire; maximi momenti est: non quia gravis morbus est aut fatalis; sed quia tantum parti, cui infidet, cum universo corpore intercedit consortium, ut, illa malè se habente, omnes hujus functiones, plus minus, perturbentur.

IV. Hic (II.) morbus omnium aetatum, omnium temperamentorum, omniumque regionum
communis

communis est; neque profectò satis constat, utrùm mares saepius, an foeminae, in eum incidant. Ipse enimvero, quippe cùm lentus sit morbus, est plurimorum, in praesentia, malorum materies; et, nisi aptis medicamentis adhibitis opportunè depellatur, vires et animi et corporis labefactando efficit, ut graviora adhuc, et inter se dissimillima, superveniant.

V. Ex scriptis ARETAEI et CELSI satis constat, morbum, de quo disputamus, et GRAECIS et ROMANIS familiarem fuisse.

VI. Cùm concoctio alimentorum, ad incolunitatem corporis conservandam, tam necessaria sit, non est, cur miremur, vetustos auctores ventriculum, quo consistit hic morbus, caeteris corporis partibus praestare, opinatos esse. Ille enim non solùm praepollet acerrimo sensu, sed etiam tantum habet confortium cum caeteris partibus, etiam iis quae longissimè distant; ut, his morbidis,
ille,

DE DYSPEPSIA.

ille, illo hae, plùs minùs perturbentur, neque propriis muneribus fungantur.

VII. Utrùm verò in iis, quae assumpta alimenta malè concoquunt, aegritudo caeteri corporis ex infirmitate ventriculi nascatur, an haec ex aegritudine caeteri corporis, nondum, inter medicos, convenit. Existimatio communis omnibus est, et rem utrinque disputabilem versare in utramque opinionem licet.

VIII. Mirum est, hunc morbum recentioribus medicis adeo levem visum esse, ut scriptis ferè silentio praeteriverint. Eum profectò attingerunt HOFFMANUS, BOERHAVIUS, et SWIETENUS, sed permistè tantùm, dispersè, et quasi cursim: et, absque foret TISSOTIO, HOMIO, et CULLENO, qui eum discretè, electè, et fusè profecuti sunt, nihildum ferè de eo cognovissemus.

DEFI-

DE DYSPEPSIA.

DEFINITIO.

IX. *Dyspepsia* a CULLENO sic definitur :

1. “ Anorexia, nausea, vomitus, inflatio,
“ ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia,
“ pauciora saltem vel plura horum simul con-
“ currentia, plerumque cum alvo adstricta, et
“ sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum
“ partium morbo.” *

2. VOGELIUS *dyspepsiam* in generibus ejus
nosologiæ disposuit; sed tantum abest, ut propriis
signis eam definiat, ut, verso tantum LATINE
GRAECO nomine, “ *tardam difficilemque concoc-*
“ *tionem*” appellet †.

HIS.

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II.
Class. II. Ord. II. Gen. XLV.

† Vid. VOGEL. *Gener. Morb. Class. VI. Gen.*
CC,LXXVII.

DE DYSPEPSIA.

HISTORIA MORBI.

X. Prima plerumque signa sunt sensus plenitudinis et ponderis in ventriculo : circa praecordia, praecipuè post cibum assumptum, aliquid doloris et aegritudinis : appetitus deficiens : animus tristitulus et demissus : inflatio ventriculi et intestinorum, unde spiritus et suprà et infrà cum sonitu erumpit : dolor colicus : flatus et ructus.

XI. Interea, alvus plerumque adstricta est, sed interdum soluta. Quae dejiciuntur, ea per saepe viridi sunt colore; qui fortasse efficitur mutatione, quam bilis, ex nimio acido ventriculi secum commixto, subit. Dolet ventriculus, primùm leviter tantùm et subinde; sed, inveterascente morbo, graviùs et ferè continenter.

XII. Seriùs ociùs aeger, quid sibi fit rei, certior fit, et morbus multùm ingravescit. Dissolutus stomachus nihil ferè alimenti appetit; vel assumptum nauseat, imò haud rarò nondum confectum subitò evomit. Simul, vel haud multò pòst, aeger eructat liquorem plerumque acidum, modò autem rancidum, modò putridum, modò amarum. Eodem tempore, ardor ventriculi est, et aliquid mucii tenacis exspuitur.

XIII. Eorum, qui hoc morbo marcescunt, nonnulli assumptum alimentum, pòst paulò, bovum instar, ruminant. Eorum anima foetet; lingua arida plerumque est, vel albido quodam flavove fordida. Tempore matutino sitiunt multùm, et propter internarum faucium siccitatem, continenter ferme tussiunt. Uvula, et velum pendulum palati*, nonnunquam magnopere relaxantur.

XIV.

* Vide WITHERS. *Observations on Chronic Weakness*, pag. 8.

XIV. Quinetiam caput, ex transverso frontis, dolet, et simul vertigine afficitur : parùm autem turbatur intellectus. Saepenumero, cùm peracutus dolor fit, oculi hebescent, neque res objectas accuratè discernunt. Aures, matutinis potissimùm horis, multùm sonant : et iis, qui nimis irritabiles sunt, anima aegrè recipitur ; cor palpitat ; et nonnunquam anima deficit.

XV. Arteriae plerumque celeriter, ferè semper imbecilliter, micant. Cutis, minutâ per eam exhalatione, tactu arida est ; atque aeger de frigore, praecipuè in extremis partibus inferiorum membrorum, et in ventriculi regione, conqueritur. Urina saepenumero naturalis est ; verùm interdum tamen turbida et subrubra, vel pallida et nimis copiosa.

XVI. Somnus vel aegrum refugit, vel, si quando obrepserit gratus, subinde aut infomniis turbatur, aut subitò interpellatur.

XVII. Porrecto in longum morbo, corpus univcrsum flaccescit: motum, in primis post assumptum cibum, aeger averfatur; et vel leviffimâ exercitatione brevi defatigatur. Cutis ubique pallida est, interdum lurida, aut flava. Facies itidem pallefcit, et cadaverofa fit. Oculi hebetes fiunt atque natantes. Pallefcunt, vel potiùs livescunt, labra.

XVIII. Animus etiam marcet; irritabilis fit; caufis vel leviffimis in iram rapitur; atque, corporis instar, ignavus est et iners. Attendendi, cogitandi, et judicandi, ut valida solebat, mens incapax est. Quinetiam, neque, ut debet, praeterita reminiscitur, neque recognita difpofitè ordinat. Aliàs autem parùm omnino afficitur.

XIX. Nonnulli aegri continuo ferè timore anguntur, ne leviffimis caufis valetudo ingravescat. A labore timent; timent a humore; omnis eos

aura terret : atque inanis ipse timor auget morbum.

XX. Propter insolitam ventriculi et alvi mobilitatem, et concitatum nimis hujus motum, alimentum inconfectum dejicitur. Malum hoc signum, unà cum salivâ nimis copiosâ, in *dyspepsiâ* inveteratâ haud infrequens est. Tum quoque signa complura hydropis apparent ; atque corpus, jam multùm laxatum, sudore nocturno et alvi profluvio ad ossa quasi et pellem colliquet*.

XXI. Tantis totque malis confectus aeger, labentibus annis, impar muneribus, gaudiis impar, cuique nullum in spe quidem superest solatium, vel miseram protrahit vitam, vel lentae morti occumbit.

XXII. Interdum, sed rariùs, hoc morbo impliciti,

* Vid. WITHERS, *On Chronic Weakness*, page 14. & 15.

pliciti, alimentum solito cupidius appetunt, et oblatum edaces devorant. Haec edacitas acidâ quadam vel acri materiâ ventriculum stimulante fortasse efficitur. Qui sic ventri obediunt, ii pristinum vigorem retinent, neque macilenti fiunt; atque dissolutio stomachi, de qua conqueruntur, magis forsitan ex ingurgitatione enascitur, quàm pravâ concoctione.

XXIII. Foeminae, quae aliquandiu *dyspepsiâ* laborârunt, saepe menses, constitutis naturâ temporibus, non profundunt; sed debiles et mobiles factae, causis vel levissimis identidem corripiuntur.

XXIV. Ferunt, porrò, auctores, eos, qui *dyspepsiâ* tentantur, interdum lateris et *epigastrei* doloribus affici. Hos verò de consortio, quod his partibus intercedit cum ventriculo, pendere, vel potiùs de rheumatismo musculorum externorum, verisimile est; cùm praesertim, ferè in
proverbium

proverbium cefferit, eos, quorum stomachus dissolvitur, et qui ideo acida eructant, minimè omnium in pleuritidem incidere.

XXV. *Dyspepsia*, qua interdum marcescunt infantes, insignitur acore ventriculi et intestinorum, et faecibus, quae hinc transmittuntur, colore viridibus.

XXVI. *Dyspepsiam* diu protractam committere posse, ut in jam calculosis ingenerentur calculi, aut etiam ipsam homines jam primùm calculosos reddere, vero, ut nobis videtur, non absimile est.

XXVII. Unquamne, in proclivibus, *phthisin* *dyspepsia* concitat? Nunquando longâ *dyspepsia* confecti, prae caeteris, duritiâ *pylori* vexantur?

DIAG.

DIAGNOSIS.

XXVIII. Signorum similitudine adducti, medici, nisi ad eorum causas cognoscendas, animos intenderent, similia iisdem semper medicamentis levare conarentur: quo, profectò, nihil absurdius, nihil inutilius, nihil demum alienius esse potuit. Prudens autem medicus, qui solet animadvertere, quibus ex causis morbi coeperint, et experientia monitus, quàm saepe fallant signa, quorum origo nondum cognita sit, non omnem dolorem eadem curatione dilcutere aggredietur.

XXIX. Cùm igitur non curari id, quod aegrum est, possit ab eo, qui, quid sit, ignoret, uniuscujusque profectò medici interest plurimi, morbos, alio alium, accuratè dignoscere.

XXX. Prima origo causae, unde *dyspepsia* coeperit, vel in ipso ventriculo potest esse, vel in aliis partibus corporis. *Dyspepsia* enim ulcerationi ventriculi, duritiis *pylori*, et redundantiae bilis supervenit; necnon capitis dolori, renum calculis, et *amenorrhoeae*, quam *chlorosin* nonnulli perperam nominârunt.

XXXI. Morbi, quibus maxima est similitudo cum *dyspepsia*, sunt *podagra atonica*, et *pylori duritia*.

XXXII. *Podagra (xxxii.) atonica*.—Primariam *dyspepsiam*, ab ea secundaria, cui *podagrismi*, prae caeteris, opportuni sunt, distinguere, arduum imprimis et difficile est. Quò, utrâ duarum conflictetur aeger, cognoscamus, hujus praeteritae valetudinis, potiùs quàm malorum quibus in praesentia prematur, ratio habenda est.

XXXIII. i. Hunc (xxxii.) in finem, animadvertendum

advertendum est, quibus parentibus aegrotans ortum ducat; qua aetate fit; mas sit, an foemina; qua corporis magnitudine fit; demumque, crassane ei, necne, cuticula. His enim cognitis, discernere, podagrâ *atonicâ*, an *dyspepsiâ* laboret, non arduum erit.

2. Intelligendum, porrò, est, illum morbum, quamvis stomachum interdum subitò petat, et gravem ibi dolorem moveat, tamen plerumque *anorexiam* tantummodo, et alia quaedam *dyspepsiae* signa, unâ cum doloribus, et musculorum, hîc illic corporis, distentionibus, efficere, atque animum tristem et demissum reddere.

3. Si haec (XXXIII. 2.) signa omnia, vel ex his pleraque leventur, quoties pollicem alterutrius pedis podagra excruciet, et, hac illinc subitò recedente, graviora reddantur, animo incertus non erit medicus, utro morborum aeger vexetur.

XXXIV. Etiamſi *dyspepsia* et *podagra atonica* eadem ferè ratione curandae ſint, tamen minimè dubium eſt, quin illa, ex opinione, *podagrae* prolem eſſe, multo gravior reddatur adhibitis medicamentis, quae corpus ſtimulant. Hinc apparet, quanti et aegro et medico momenti ſit hos morbos internoscere, cùm ex alterutrius errore ille haud leve detrimentum faciat.

XXXV. *Pylori* (xxxvi.) *duritia*—1. In hoc morbo, dolor in eadem parte perpetuus eſt, qui interdum multùm intenditur preſſurâ; in ſtomacho ipſo eſt calor inſolitus; concoctio magnopere impedita; illico, poſt aſſumptum alimentum, vomitus et graviffimus dolor; alvus perquam compreſſa; ventriculi acor acerrimus; interdum tumor, ventriculi regione contrectatâ, tactu perceptus; et, quod hujus morbi proprium eſt, ſanguinei aut purulenti quid in iis, quae ſuprà infràve erumpunt*.

* Aud. Mon. *Praelect. Path.* ann. M,DCC,XCII.-III, III. IV. IV.-V.

2. Quinetiam, ei, qui *pylori* duritiâ laborat, est facies multo magis cædaverosa, quàm ei est, qui *dyspepsia* conflictatur, et multo citiùs supervenit febris *hectica*.

XXXVI. *Dyspepsiam* et *hypochondriasi*n genere discrepare, CULLENUS opinatur; quòd, si melancholici aetate jam provecti, malâ concoctione laborant, eorum animus multò magis contristatur, quàm is eorum, qui temperamento sanguinei, et aetate juniores; ejusdemmodi concoctione marcescunt.

XXXVII. I. Contra hanc verò CULLENI opinionem dici potest, homines, quibus alia, quàm melancholicum, temperamenta sunt, *hypochondriasi* affici, et, secùs ac ratus est hic auctor, eos, qui hoc morbo contristantur, eos ferè numero adaequare, qui tentantur *dyspepsiâ*. Quinetiam, experienciâ quorundam medicorum, quorum nu-

mero sunt HOMIUS * et GREGORIUS †, constat, utrosque morbos ex iisdem causis enasci, iisdem notis insigniri enatos, et eâdem ratione sanari.

2. A. Ex variante adeo, dum vivitur, et mutabili hominum animo, quem tam aptè descripsit ipse CULLENUS, conciperè possumus, quam obrem aetate provec̄ti, malis, quibus afficiuntur, perseverantiùs occupentur, quàm ii, quibus, ob aetatem, integer etiamnum sanguis est.

B. Verùm, ut vetuli suis malis pertinaciùs versentur, quàm juniores, aliquâ forsan ex parte, efficere potest major illorum ventriculi infirmitas, longiorè vel vehementiorè stimulatione inducta. Est enim verisimillimum, quo magis dissolvitur stomachus, eo quoque magis contristari animum; et, si veteratas *dyspepsias* aequè,
ac

* Aud. HOM. *Praelect. Clinic.* ann. M, DCC, XCIV. - V.

† Aud. GREGOR. *Praelect. Pract.* ann. M, DCC, XCIV. - V.

ac recentes, facilè curare possemus, paucos tantummodo *hypochondriacos* fore.

3. Certiores nos facit GREGORIUS, generosam vetulam, quae *dyspepsiá* et simul animo demisso, usque eò, per complures annos, laboraverat, ut et ipsi et amicis oneri esset, tandem ab infirmitate ventriculi convaluisset, simulque pristinam animi hilaritatem redeptam esse.

4. Ad hoc, *hypochondriasis* nunquam, quantum accepimus, accidit, nisi iis, qui causis, quales *dyspepsiam* efficiant, objectati sunt; neque ullus enarratur *hypochondriacus*, qui animo demisso priùs erat, quàm aliquandiu alimentum jam malè concoxerat ejus ventriculus. Si ex aliis causis, quàm quae *dyspepsiam* concitant, oriatur *hypochondriasis*, dubitari non potest, quin illas enumeravisset accuratus CULLENUS.

5. Cui, porrò, etiam firmissimo, est idem,
ante

ante prandium, animus, ac post? Unde, nisi ex ventriculi conditione, tanta haec diversitas?

6. Quinetiam, quare infani, et melancholici, quibus, prae caeteris, ut putat CULLENUS, sunt fibrae musculosae rigidae, non semper alimentum malè concoquunt? Oportet enim hoc accidere, si vera sint ea, quae de *hypochondriasi* dixit.

7. Utrùm, re ipsâ, diversi morbi sint *dyspepsia* et *hypochondriasis*, necne diversi, constituere imprimis difficile est. Verùm hoc ab ipso quidem CULLENO conceditur, ventriculum semper, dum demisso aliquis animo est, alimentum malè concoquere. Tam igitur, me iudice, convenit naturae corporis, et experientiae medicorum, credere, *hypochondriasin* ex malè se habente ventriculo enasci, quàm ex musculis rigidis, nervis torpidis, aut ex speciali arteriarum et venarum inter se ratione. Quocirca, inclinatur animus,

mus,

mus, ut credam, iis, quae in *primis lineis** (M, CC, XXXVIII. — M. CC, XLII.) dixit CULLENUS, parum fidei habendum esse. vel potius, in curandâ *hypochondriasi*, ea omnino esse negligenda.

XXXVIII. *Pyrosis*, notis, quibus a LINNAEO et CULLENO describitur, satis a *dyspepsia* distinguitur: verum intelligendum tamen est, in hoc morbo interdum esse signa, iis haud absimilia, quae conspiciuntur in illo.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXXIX. Nonnullos, prae caeteris, esse in hunc morbum proclives, verisimillimum est; eò quòd multi, per longam vitam, iis sibi indulgent, quae, in opportunis, eum concitare solent,

* Edit. 1791.

folent, et nihilo tamen magis eo plectuntur. Verùm, utrùm proclivitas sit sanguineum temperamentum, an labes quaedam haereditaria, ut interdum videtur, non fatis constat.

XL. Causarum, quae *dyspepsiam* concitant, hoc commune est, quòd ventriculum vel rectà infirmant, vel minùs rectà, infirmato priùs universo corpore. Harum praecipuae sunt,

- | | |
|--------------------------|-----------------------|
| 1. Opium ; | mis, vel parùm |
| 2. <i>Nicotiana</i> ; | nutriens ; |
| 3. Liquores meraciores ; | 11. Vita sedentaria ; |
| 4. <i>Thea</i> ; | 12. Motus animi ; |
| 5. <i>Coffea</i> ; | 13. Somnus vel nul- |
| 6. Amara ; | lus vel nimius ; |
| 7. Aromatica ; | 14. Concubitus nimis |
| 8. Ingurgitatio ; | frequens ; |
| 9. Vomitio frequens ; | 15. Frigus, cum hu- |
| 10. Diaeta parca ni- | more, corpori |
| | inexercitato ad- |
| | motum. |

XLI. *Opium, nicotianam, liquores meraciores, theam, coffeam, amara, aromatica*,—et stimulan-
di et sedandi facultate pollere, inter omnes ferè
medicos convenit. Dubitari igitur vix potest,
quin frequens et multus horum usus sensum et
irritabilitatem hebetet, et motum reprimat.
Sed, utcunque agant, certò scimus, si in eorum
usu diu perseveretur, non solùm ventriculum
dissolvere, sed etiam totum corpus infirmare.

XLII. Quod ad *nicotianam* speciatim attinet,
qui eam mandunt, si salivam usque eò expuunt,
ut tantum non devoretur, quantum ad bene con-
coquendum necessarium sit.

XLIII. Nonnulli existimârunt, detrimentum,
quod ex *thea* et forsan ex *coffea* ventriculus
facit, non tam ex his ipsis, quàm ex aqua tepi-
da, quacum assumuntur, oriri. Experimentis
autem, iis imprimis CULLANI, SMITHII*, et

LET-

* Vid. T. SMITH. Tentam. Physiolog. Inaug. de Ac-
tione

LETTSONII *, adducimur, ut contrariam opinionem accipiamus; eòque magis, quòd olim nostri majores, etiamfi, vel nondum cognitis *theâ* et *coffea*, verisimillimum sit, eos aquam tepidam in ventriculum affatim assumpsisse, multò rariùs, quàm nos nequiores minores, *dyspepsiâ* marcuisse videntur.

2. “ I have,” ait CULLENUS, “ a stomach
 “ very sensible, which I have found to be hurt
 “ by Tea, which I attributed to the warm wa-
 “ ter; but having used some indigenous plants
 “ with the same heat of water, I found no harm
 “ ensue; and this I have repeated above fifty
 “ times †.”

XLIV.

tiõne Musculari, Appendic. pag. 26. Exper. 36.—EDIN.
 M,DCC,LXVII.

* Vid. J. C. LETTSOM. *Natural History of the Tea-Trees*,
 &c. Sect. III. Exper. 3. 4. et Sect. XV.

† Vid. CULLEN. *Lectures on the Materia Medica*, p. 358.
 Edit. Lond. 1773.

XLIV. *Ingurgitatio et vomitio frequens.*—Nimia ventriculi distentione, et violentis vomendibus, quibus intestina sursum moventur, ventriculus, praecipuè infantum lactentium, usque adeo infirmatur, ut ejus fibrae sese contrahendi potentiam amittant, ideoque concoctio, appetitus, et vigor corporis magnopere minuantur.

XLV. *Diaeta parum nutriens*—ab ARETAEO, neque ineptè, ut causa dissolutionis ventriculi memoratur. “Familiare est etiam id vitium
“ illis, qui tenui victu et duriore coacti sunt
“ uti *.” ARETAEO, hac de re, accedit GREGORIUS. *Diaeta tenuis dyspepsiam*, ut verissimum videtur, efficit, vel quia ex ea non paratur satis nutrimenti, vel quia non satis ipsum ventriculum incitat.

XLVI. *Vita sedentaria, motus animi, et somnus*

D

vel

* Vid. ARET. CAPPAD. *De Caus. et Curat. Morbor.* lib. II. cap. VI.

vel nimius vel deficiens.—1. Quantum haec ventriculo noceant et toti quidem homini, benè exprimitur sequentibus verbis. “ Desidia, five
 “ animi five corporis, utriusque vires languescunt: nimia exercitatione haud minùs laeduntur. Statuit enim provida rerum Parens,
 “ ut singularum partium, et universi corporis, animique vires usu roborentur, et acuantur;
 “ et huic iterum certos fines posuit: ita ut neque, quem voluit natura, usus impunè omittatur, neque ultra modum intendatur.

“ 2. Caeterùm et ab iis, quas nullo nostro arbitrio regimus, tam animi quàm corporis functionibus, valetudinis discrimen non leve esse potest. Animi imprimis affectus, qui modici gratè excitant, vehementes, aut graves et diuturni, hujus pariter ac corporis vires frangunt; hominem interdum statim extinguunt, saepius longa valetudine macerant. Somni etiam, quo ad exhaustas vires reficiendas egemus,
 “ excessus

“ excessus vel defectus, et animo et corpori no-
 “ cent *.”

XLVII. *Concubitus nimis frequens.*—Ut absorptum semen corpus robustum et validum reddit; sic, imprimis ante firmam aetatem, frequens concubitus, utpote quo hic humor justo copiosius profundatur, et qui musculos, quibus emittitur, nimio opere convellat, simulque nervorum genus nimis incitet, non solum organa debilitat ad res venereas necessaria, sed etiam universum corpus solvit et infirmat. Eviratus imberbis, et corpus et animum effoeminatus, fatis superque ostendit, quam necessarius, ad virilem corporis vigorem conservandum, sit humor foetificus.

XLVIII. *Frigus, cum humore, corpori inexercitato admotum.*—*Dyspepsiam* hac causa effici, idcirco a nonnullis cogitur, quod hieme ut frequentior est, sic curatu difficilior. Quare ita fit, facile explicari,

* Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret* § 60.—61.

explicari potest. Frigus enim, quanquam corpori robusto et fatis exercitato, quod vi ejus sedanti fatis renitatur, admotum, halitum cutis evocat, et appetitum movet; tamen eorum corporibus admotum, qui, velut illi *dyspepsiae* opportunissimi, prae debilitate et irritabilitate, ejus sedandi facultati fatis reniti nequunt, nimium jam languorem et torporem adauget, et sic, infirmato ventriculo, committit, ut concoctio vel mala fiat, vel, jam mala, aegriùs et tardiùs in sanam vertatur. Multo autem plùs valet, si simul aër sit humidus. Humor enim summam cutem relaxat; et, ob consortium, quod, nervorum interventu, extremo corpori est cum ventriculo, hunc usque eò infirmat, ut HOMIUS luculenter dixerit, *dyspeptici* ventriculum *hygrometrum* esse minimè alpernandum*.

CAUSA

* Aud. Hom. *Praelect. Clinic.* ann. M,DCC,XCIV.-V.

CAUSA PROXIMA.

XLIX. Priùs, quàn hanc rei nostrae partem tractamus, haud alienum erit memorare, qua in hominibus vi alimentum concoquatur.

L. Vis concoctionis efficiens, ut his auctori-
bus videtur, calor est *; ut illis placet, putre-
do †: nonnulli trauram esse putant ‡; alii fer-
mentationem ||: denique non desunt, qui opi-
nantur, alimenta *succo gastrico* cogi primùm, de-
inde actione ipsius ventriculi subigi et conco-
qui §.

LI. Verùm hae (L.) opiniones, utcunque spe-
ciosis

* HIPPOCRAT GALEN.

† EMPEDOC. PLISTONIC LISTER KNIGHT. et al.

‡ ERASISTRAT. BORELL. PITCAIRN. et al.

|| BOERHAV PRINGEL. MACBRID. et al.]

§ GEORG. FORDYC.

ciosis argumentis defendantur, tamen omnes habent, quibus contradicamus. Experimentis enim MONRONIS, SPALLANZANII, STEVENSII, et HUNTERI, fatis constat, in humano ventriculo vel secerni vel effundi liquorem, qui cum alimentis solutis se in unitatem commiscet; atque liquorem, ex commixtis his duobus compositum, ventriculo expelli in *duodenum*, ubi in *chylum* convertatur.

LII. Liquor (LI.) ventriculi devoratum alimentum solvendi vi pollet; quam, vel non adjuvantibus musculosis ventriculi fibris, exercere, propterea novimus, quòd, etiam extra corpus, alimentum dissolvit, imò ipsum, post mortem, ventriculum. Quinetiam, multùm obstat, quominùs res, quibuscum commiscetur, fermentescant aut putrescant.

LIII. Cùm ita (LI.-LII.) fit, nobis videtur, ventriculi (LI.) liquorem, quem, ipsorum lin-

guâ, *succum gastricum* appellant medici, efficientem concoctionis causam esse, simul fortasse adjuvantibus salivâ, escarum confectione, et speciali fermentatione.

LIV. His (L.-LIII.) cognitis, nunc, qua causâ rectâ enascantur *dyspepsiae* signa, nobis perquirendum est. Multùm a variis auctoribus vertitur, quid haec sit; et, quò nosmet vertamus, ferè nescimus.

LV. Nonnulli existimant, causam, qua, interveniente nullo, signa, *dyspepsiae* oriuntur, esse cruditatem, de qua profectò plerumque queruntur ii, qui malè concoquere solent. Rem ita esse, sibi persuadent auctores, propterea quòd, qui hoc malo conflictantur, ii ex ventriculo subindè liquorem tenacem eructant.

LVI. Alii, imprimis FOTHERGILIUS †, medicus

† Vid. *Lond. Med. Observat. et Inquir.* vol 6. pag. 107,

cus peritus et omni virtute ornatus, rati sunt, causam, qua rectà efficitur *dyspepsia*, esse bilem nimiam in ventriculo et intestinis. Ita esse, in animum induxerunt, eò quòd iis, qui hoc morbo tentantur, cutis interdum flaccescit, et fellea quaedam suprà erumpunt.

LVII. Hae verò (LV.-LVI.) causae utraeque, nulla re, praeterquam nomine, causis veris conveniunt: neutiquam enim morbum, de quo disputatur, efficiunt, sed eo efficiuntur. Idem dici potest contra HOMIUM, qui putat, *proximam* huius morbi causam in debili intestinorum motu consistere. “ Motus”, ipsius verbis loquor,”
 “ peristalticus primarum viarum debilitatus, vel
 “ nonnunquam impeditus, et inordinatae fre-
 “ quentesque *duodeni* ipsiusque ventriculi spas-
 “ ticae constrictiones †”.

LVIII. Causa, ex qua, velut stipite, pullulant

† Vid. Hom. *Princip. Medicin.* page 258.

tant signa *dyspepsiae*, est, ut CULLENO videtur, ventriculi musculorum infirmitas. Verùm, recognitis iis, quae suprâ (LI.) de escarum coctione diximus, manifestum est, debilitatem fibrarum musculosarum, nullo alio modo coctionem depravare posse, quàm pravam ventriculi liquorem reddendo.

LIX. Cùm ita (LVIII.) fit, nobis concludere fas esse videtur, causam, qua, velut communi trunco, nascuntur signa *dyspepsiae* propria, esse *ventriculi succum vel deficientem vel corruptum*.

LX. Alia adhuc est opinio, quae non praetereunda est, cujus auctori verisimilius “ videtur, secundum notitiam nostram *oeconomiae animalis*, credere, ventriculi debilitatem, quantitatem *succi gastrici* potiùs, quàm ejus qualitatem, mutare ”. Auctor modo, qui huic

E
opinionem

Vid. WILSON. Dissert. Inaugur. de *Dyspepsia*. EDIN. M, DCC, XCII. pagæ 10. et sequent.

opinionem sit consentaneus, *dyspepsiae* causas, signa, et curationem exponere conatus est.

LXI. Huic verò (LX.) opinioni objici potest, verisimillimum esse, succum *gastricum*, cum quantitate mutetur, plus minus itidem, haud secus atque alia secreta, mutari qualitate. Alicujus enim, qui distillatione afficitur, narium mucus, dum solito copiosior est, solito quoque est acrior; atque lac iratae nutricis, quod justo parcius est, dotibus adeo vitatur, ut gravi vomitione, et interdum convulsionibus, infantem infontem afficiat.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

LXII. *Anorexia*.—Cum ordinata escaum appetentia ex salutari, et quod ad quantitatem et qualitatem, ventriculi liquoris conditione, mag-

na ex parte, pendeat; esse non potest, quin, hoc deficiente, vel quoquomodo vitiato, *anorexia* seu appetitûs defectus efficiatur.

LXIII. *Nausea et vomitus*—tantummodo gradu differunt, et inverso musculosarum ventriculi et gulae fibrarum motu efficiuntur.

LXIV. *Inflatio*—ingeneratur aëre ex alimentis solito uberiùs expedito, et ventriculum quoque versum distendente. Cùm autem ventriculus eorum, qui hoc morbo marcescunt, acri nimis sensu fit, et illius invaliditudine totus occupetur animus, pauxillum aëris sensum gravis distensionis moveat. In nonnullis ventigenis inflatur ventriculus aëre communi, quem, dum spiritum, quo intus parturiunt, edere enituntur, extrinsecùs hauriunt*.

LXV.

* Aud. MONRON. *Praelect.*

LXV. Opinatus est JOANNES HUNTERUS †, aëra, quo distenditur ventriculus, hoc ipso organo fecerni. Hanc opinionem accepit, quia incredibilis ferè aëris quantitas, ex hoc, quoties podagrâ tentatur, subinde transmittitur; quia in quorundam piscium vesiculis, in quas introitus aëri externo nullus est, aër continetur; et denique, quia, in utero, necnon in quibusdam abscessibus, magna vis aëris interdum colligitur.

LXVI. *Ructus et ruminatio*—efficiuntur; ille multo spiritu, qui, ventriculo, quo, in carcere velut, includitur, magnopere irritato, motuque ejusdem sursum verso, quâ data porta, per *cardiam* erumpit, et, gulæ orisque viâ, in auras se dispergit; haec autem parte inclusi spiritûs cum solidis alimentorum partibus commixtâ, sic ut hae, prae levitate, ventriculi liquori supernatantes, imam gulæ partem irritent, atque, motu
hujus.

† *On the Animal Oeconomy*, page 164, 165.

hujus itidemque ventriculi retrorso, in os ejaculentur.

LXVII. *Cardialgia*—enascitur acore vitiato vel corrupto, quem ipsum efficit vel acris quaedam materia remorantibus in ventriculo alimentis ingenerata, vel ipsa haec ad acescendum justo procliviora. Quoties acor hic corruptus, ad *cardiam*, et imam *gulae* partem, retroacto ventriculi motu eliditur, illae partes, velut si adurat calidi quid, acriter dolent.

LXVIII. Veruntamen, utrùm alterutraque (LXVII.) causa generetur hic acor, an ex sanguine circumfluo in ventriculum pravus secernatur†, an ex omnibus his causis simul conspirantibus proveniat, certò affirmare non possumus.

LXIX. *Gastrodynia*—ut nobis videtur, fibris ventriculi musculosis sese inordinatè et justo
enixiùs

† Vide HUNTER *On the Animal Oeconomy*, pag. 163.

enixiùs contrahentibus plerumque tribuenda est. Convenit enim nobis cum HOFFMANNO, hujusmodi contractiones, quas *spasmos* appellant medici, debilitate seu infirmitate fibrarum motricum exoriri.

LXX. 1. Nulla, quibus utuntur medici, verba vim minùs definitam et determinatam habent, quàm *cardialgia* et *gastrodynia*. CULLENUS, qui de medicina optimè meritus est, quam vim habeant haec verba, vel saltem habere debeant, accuratè, haud ita pridem, definivit.

2. *Cardialgiâ* intelligendam vult hic (LXX. 1.) auctor molestiam vel aegritudinem, quae ipsi aegro videtur, tanquam acri aliquo ventriculo adurente moveri; *gastrodyniâ* autem eos dolores, qui aliquo velut ventriculum discindente, pungente, constringente, aut demum magnopere quoquo versus distendente, nullo interea caloris sensu, acrimoniae nullo, concitantur.

LXXI. *Alvi tarditas*—pendet de debilitate atque torpore intestinorum, et tarda ventriculi ipsius exinanitione. Tantum enim intestinis cum ventriculo intercedit consortium, ut, hoc debili et tardè sese evacuante, illa torpeant, neque contenta, statutis temporibus, ut firma solent, deorsum eliminent.—Interdum verò recrementa alimentorum, acria remorando facta, usque eò intestina irritant, ut praeceps alvi exinanitio subsequatur: et profectò, absque foret experientia, ex qua alvum plerumque pigram esse cognovimus, acor, qui inest ventriculis eorum qui malè concoquunt, committeret, ut, propriis *dyspepsiae* signis ventris proluviem semper annumerandam esse, opinaremur.

LXXII. *Palor*—sanguinis defectui tribuendus est, et minuto motui cordis, arteriarum, caeterarumque partium, quibus vel ministris vel adjuvantibus in circuitum sanguis movetur. Sanguis etenim eorum, qui mala alimenti concoc-

tione

tione macerantur, non solum parvus est, sed etiam, prae ejus crassaminis exiguitate, solito dilutior.

LXXIII. *Flavus*,—quem cutis ducit, color, fortasse bile primis viis cumulata efficitur; vel, ut nonnulli putant, fero, quo sanguis eorum, qui escas male concoquendo macraverunt, redundare et superfluere solet.

LXXIV. *Capitis mala*—ex infirmitate ventriculi enascuntur, propter mirandum consortium, quod huic est cum illo, sed quod nondum medici nedum *anatomici* potuerunt satis expedire. Verum tanta enimvero est confociatio ventriculi et caeterarum corporis partium, imò communitas tanta, ut, illo imbecillo aut languescente, haec ferius ocius imbecillitatis et languoris confortes fiant. Fortasse autem interdum caput, a nimio sanguine huc fluente, male se habeat.

LXXV. *Oris mala*—confortio modò (LXXIV.) dicto itidem attribuenda sunt. Licèt enim ex ore malè se habente fitis interdum moveatur, tamen multo saepius accenditur invaletudine ventriculi.

LXXVI. *Difficultas spirandi, palpitatio, et animae defectus*—efficiuntur vel ventriculo nimio-
pere distento, et sic naturalem thoracis amplitudinem minuente; vel mirâ ventriculi, cordis, et pulmonum confortione.

LXXVII. *Animus demissus.*—Animum aliis in ventriculum assumptis aliter se habere, inter omnes convenit. Quantum inter se differunt diversi ebrii? Cerevisiâ poti, corpore torpidi sunt, et animo hebetes; iis, ex toto, dispares facietis, qui edentulo interioris notae Falerno mero caluerunt. Neque, profectò, hi minùs dissimiles sunt iis, qui liquoribus distillatis meracioribus lymphati, sunt, LAPITHARUM olim instar, iracundi et rixosi. Cùm ita sit, minimè mirandum est,

ventriculo imbecillo et marcescente, animum demitti et contristari.

LXXVIII. *Hydrops*—efficitur laxitate totius corporis, qua, mirum in modum, afficiuntur ii, quorum vires mala alimentorum concoctione diu labefactatae sunt.

LXXIX. *Febris*,—qua ii, quibus inveteraverit mala concoctio, implicantur, eâdem causâ, qua *hydrops*, enascitur. *Gastrodynia* autem, si gravis admodum sit, itidem efficiat, ut arteriae, sicut eae febrientium, citatim et inordinatè moveantur.

PROGNOSIS.

LXXX. De iis, qui hoc morbo languescunt, rarò desperandum est. Quò autem ejus consecutiones sagaciùs praevideant, et praevisas prae-nuncient

nuncient medici, eos oportet, qua aetate aegrotans sit; mas sit an foemina; quo corporis temperamento sit; quam artem faciat; qualis conditio vitae; qualis etiamnum corporis habitudo; demumque, quibus causis ipse provenerit morbus; sedulò animadvertere.

LXXXI. Cùm juvenes, aut aetate medii, malâ concoctione nondum inveteratâ, et vel causis, quae corpus rectâ debilitant, vel sordidâ et insalubri, qua versantur, arte effectâ, laborant, bonum est: quippe quia, causis vitatis vel submotis, et derelictâ arte, apto regimine et medicinâ bene denuo alimentum plerumque concoquunt, et vires redipiscuntur.

LXXXII. Quòd si aetate provecti macrescunt malâ concoctione, quam longus et multus usus incitantium moverit; quae gravia signa habeat; et quae, idoneis medicamentis ad sanam perduc-

ta,

ta, iterum iterumque gravior rediverit; ab iis, profectò, curatio vix expectanda est.

LXXXIII. Postquam omnia medicamenta, quae concoctionem reficere praedicantur, tentata sunt, et omnia parùm profecerunt tentata, tempus, medicinâ efficacius, curationem admovet. Ne itaque desperent ii, qui pravâ concoctione diu macerati fuerint; cùm secum sobrietatem, temperantiam, et novam haud rarò ventriculî firmitatem, afferat obrepens senectus.

C U R A T I O.

LXXXIV. Quo modo morbi arceantur, vel praesentes abigantur, is profectò cum proprio cujusque aegri corpore, et propriis cujusque morbi causis et signis, variat. Ut igitur morbus, de quo a nobis disputatur, vel non incidat, vel,

vel, si inciderit, quàm primùm perducatur ad fanitatem, capienda sunt consilia quaedam non solùm causas vitandi, et signa leniendi, sed etiam eam ventriculi infirmitatem, ex qua, velut ex trunco, enascuntur signa, in melius mutandi.

LXXXV. Nulla aptiora consilia, ut nobis videtur, excogitari possunt, quam ea, quae sibimet proposuit CULLENUS, et quae itidem persequi nobis in animo est. Horum

Primum est, causas evidentes, ex quibus morbus proveniat, quàm maximè evitare;

Secundum, signa quaedam, quibus quasi alitur morbus, curare vel lenire; et

Tertium, resoluto ventriculo firmitatem et vigorem restituere:

CONSILIUM PRIMUM.

LXXXVI. Quod ad primum consilium attinet, oportet medicos aegrum certiore[m] identidem facere, nisi causas omnes remotas, ex quibus, sicuti ex solo et radicibus, morbus enascitur, sedulò evitet, medicinam nihil omnino profecturam. Dolendum autem est, aegros hujusmodi consilia invitis plerumque auribus accipere.

LXXXVII. Priùs, quàm, quibus medicamentis absolvatur secundum consilium, dicamus, haud alienum erit, qua diaetâ vivendum sit ab iis, qui malè concoquant, perpaucis memorare. Diaetâ enim parùm idoneâ, nihil omnino valebit medicina *.

LXXXVIII. Ea pars cibi, qui ex iis conficitur, quorum stirpes terrâ pridem continebantur,
constare

* Vid. HOFFMAN, tom. II. p. 70.

constare debet ex iis, naturâ parùm ad acefcendum proclivibus, et concoctu facilibus. Aegro, si non debilis fit, his, magna ex parte, vivere liceat.

LXXXIX. Quoniam verò hujusmodi (LXXXVIII.) cibus, iis, qui malè concoquunt, plerumque parùm convenit, oportet eos, prae caeteris, multùm vivere carnibus; imprimis autem ferinis, quippe cùm, forsitan, domesticis salubriores sint. Quinetiam, carnes animalium, quae jam adoleverint, anteferendae sunt iis impuberum; propterea quòd et promptiùs concoquuntur, et tardiùs corrumpuntur.

XC. Carnes, utriuscunq̄e (LXXXIX.) generis sint, vel lento igne coqui, vel igne torreri, vel fervente aquâ, usque ad crassitudinem jusculi, incoqui debent. Suadet HOMIUS *, ut aeger, quoties carnes edit, multùm sale communi sibi quotidie indulgeat. “Animal food”, ait WITH-

ERSIUS,

* Vid. Hom. *Princip. Medicin.* p. 259.

ERSIUS, “ should be kept some time before it is
 “ used, that by having undergone a slight de-
 “ gree of fermentation, it may be sufficiently
 “ tender and easy of digestion *”.

XCI. I. Cùm inveteraverit *dyspepsia*, et, quae
 in ventriculum assumuntur, ea brevi fermenten-
 tur, cibus ex carnibus cum aromatibus et con-
 dimentis, ferè ex toto, constare debet. Nisi
 enim PRINGELIUM propria experimenta fefelle-
 rint, cibus vel ex carnibus, vel ex iis quae pa-
 rit terra, ex toto confectus, aegriùs fermentef-
 cit, quàm ex utrisque compositus †.

2. Contra autem ea (xci. i.), cibus, qui ex
 utrisque partim componitur, aegriùs, ut opinatur
 JOANNES HUNTERUS, ventriculo fermentatur,
 quàm qui ex alterutro genere solo constat.

“ Animal

* Vid. *Observations on Chronic Weakness*, p. 113.

† Vid. PRINGEL. Appendix to the *Diseases of the Army*,
 Exper. 36 et passim.

“ Animal food”, ait hic auctor peringeniofus”,
 “ does not so readily ferment in the stomach,
 “ when combined with vegetables, as when it
 “ is not; for the vegetables, running more quick-
 “ ly into fermentation, preserve the meat from
 “ putrefaction *”.

XCII. Animalia crustata, pisces testacei, et alburni, quippe cum oleo non abundant, plerumque iis, qui male concoquunt, haud alieni sunt. Ab omnibus autem dulciariis, pinguis, oleosis, et unguinosi perseveranter abstinere, eos, qui dissolutione stomachi tentantur, oportet.

XCIII. Lac et lactantia iis stomacho imbecillis ferè parum conveniunt. Fuerunt tamen nonnulli stomacho dissoluti, qui diaetâ e lacte, simulque ex frugibus et reliquis quae terra pa-

G

rit,

* Vid. JOAN. HUNTER. *Observations on the Animal Economy*, page 161.

rit, aliquandiu vivendo, multum commodi fecerunt. Ut talem diaetam affumerent, quibusdam biliosis et intestina infirmis praecepit SYDENHAMUS *, quorum ventriculis caro, qualiscunque esset, erat aliena. Nullis verò, nostrâ opinione, nisi junioribus, quibusque nondum multum defluerint vires, persuadere, ut hujusmodi diaetâ vivant, medici debent.

XCIV. Aqua cocta, in quam macerata est *cacao*, stomacho marcescentibus aptior est, quam aqua cocta, in quam *thea* aut *coffea*. Aqua verò ex his posterioribus, quippe cum ventriculum jucundè stimulet et animum exhilaret, potest tutò bibi post laborem et fatigationem.

XCV. Fructus plerumque ventriculo imbecillibus parùm conveniunt. Ante autem meridiem,
et

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* Dissert. Epist. ad G. COLE; necnon p. 574, ED. LUGD. BAT. M, DCC, XXVI.

et per se, minùs nocent, quàm post, et cum aliis conjuncti aut commixti.

XCVI. Quibus est ventriculi invaletudo, eos, prae caeteris, escam dentibus penitùs conficere oportet. “Qui”, ut bene ait GAUBUS, “prae voracitate, cibos solidos, tenaciores, priusquam deglutiant, commanducare praetermittunt, ventriculo plus faceffunt negotii, quàm natura imposuit*.”

XCVII. Ventriculo imbecilles debent commixtos cibos averfari, neque unquam plùs unum alterumve affumere. “One of the dietetic rules of most consequence to health”, ait TISSOTIUS, “and which becomes more particularly necessary to a weak stomach, is to avoid mixing a great variety of food together, and never to eat of more than two, or at most three, dishes

* Vid. GAUB. *Instit. Pathol. Med.* pag. 240.

“ dishes at one meal ; those who confine them-
 “ selves to one, are still more prudent *”.

XCVIII. Potus optimus est vel aqua mera, vel aqua ex tosto pane. Liquores omnes imbecilles fermentando parati, utpote qui ad coacescendum apti sint, debent vitari. *Cerevisia* autem *valentissima Londiniensis*, liquores ardentis meraci aquâ diluti, nec non vina meraciora, imprimis *Madeirense*, et *rubrum Lusitanum*, ventriculis imbecilibus apta sunt.

CONSILIUM SECUNDUM.

XCIX. His (LXXXVI.-XCVIII.) de primo consilio fusiùs dictis, nunc, quo modo, quibusque medicamentis, signa, unde ventriculo aegri plurimum detrimenti faciant, sanari vel levari possint, nobis dicendum est.

C.

* Vid. TISSOT. *On the Diseases of Liter. and Sedent. Persons*, § 64.

C. *Anorexia, nausea.*—1. Si, ut plerumque est, haec mala cruditatibus efficiantur, neque abstinentiâ modicâ, aromaticis, et amaris potuerint tolli, tunc vomitoria assumenda sunt. Ex his autem mitiora validioribus anteferri debent, velut aqua cocta, in quam maceratus est vel raphanus rusticanus, vel sinapis, vel *theae viridis* folia, vel chamaemeli flores.

2. Vomitus autem non solum lenioribus (c. 1.) medicamentis moveri debet, sed etiam quàm rarissimè.

CI. 1. Vomitus, si cruditatibus ventriculum offendentibus cieatur, cautè eliciendus est medicamentis, ex iis quae diluunt. Ventriculo autem cruditatibus exonerato, vomitus sistendus est. Hoc consilio, varia dilaudantur medicamenta. Haustus salinus effervescentes, saepenumero contra vomitum efficax est.

2. Haud rarò autem ad alia, quae plùs pol-
lent, confugere opus est. Hujusmodi sunt opi-
um; aether *vitriolicus*; aqua cocta, in quam
multum menthae maceratum est; acida varia; ex-
ulceratorium externo abdomini, contra ventri-
culum, impositum; anodyna per anum, clyste-
ris ope, immissa.

3. Si etiam haec (ci. 2.) omnia, ad vomitum
sedandum, non satis valeant, tunc, auctore GU-
LIELMO HUNTERO, lac perexiguâ quantitate sub-
inde devorandum est. Hoc enim, prae eximiâ
simplicitate et naturali quadam dulcedine, inter-
dum dissolutis sedet stomachis, quibus omnia
ferè alia aliena sunt*.

CII. *Cardialgia*.—1. Ad hanc curandam, vel
saltem levandam, multùm valet idonea diaeta.
Quae igitur sibi optimè convenit, eam quisque
assumat. Sed rarò diaeta, per se, satis efficax est.

2.

* Vid. *Lond. Med. Observat. et Inquir.* vol. 6. p. 310.

2. Hoc (CII. 1.) malum interdum levant medicamenta, ex iis quae illinunt, et opium. Plerumque autem iis, qui ventriculo marcescunt, auxilium, contra hoc signum, petendum est ab iis medicamentis, quae neutra acida reddunt. Hujus generis sunt *ammonia*; *potassa*; *magnesia* in calcem, igne ministro, redacta; aqua calcis. *Potassa* aquâ soluta, et *gase acido carbonico*, ad nimietatem usque, saturata, aequè stomacho apta est, et contra *cardialgiam* efficax.

CIII. *Gastrodynia*.—Ventriculi dolores interdum mitigant medicamenta, ex iis quae illinunt. Cùm verò plerumque spasmis fibrarum carnosarum ventriculi concitentur, ferè opus est eos fugare efficacioribus medicamentis, quae incitandi et spasmum solvendi potentiâ valent. Hac vi insigniter pollent *ammonia*; *spiritus ammoniae foetidus*; *moschus*; et, prae omnibus aliis, opium, quod, in hujusmodi malis, summis laudibus

SYDENHAMUS evehit †. Eadem haec remedia flatum dispergunt, et tormina consopiant.

CIV. *Alvus astricta.*—1. Alvi tarditas et duritia, quibus stomacho imbecilles ferè semper afficiuntur, multùm ad caetera signa graviora reddenda valent. Igitur alvus identidem emollienda est et cienda idoneis medicamentis.

2. In hunc verò (CIV. 1.) finem, nulla, quae praecipitem alvi exinanitionem faciunt, assumi debent; eòque minùs, quòd ventriculum et intestina adhuc magis infirmant, et sic efficiunt, ut alvus, quàm antea, tardior evadat. Quocirca, caeteris omnibus anteferenda est aloë; quippe quae, intestinis tenuioribus parùm citatis, pleniora tantùm, imprimis colon et rectum, ad contenta recrementa dejicienda, sollicitet. Hoc consilio, devorari, alterno quoque die, vel pilulae

† Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* p. 186.

lae ex ea, vel, ut FOTHERGILIUS praecipit, aqua calcis, qua soluta est.

3. Quòd si, ut saepe numero est, stomacho dissoluti simul *haemorrhoides* plectuntur, ab aloë, quippe cùm hoc malum intendat, abstinendum est. Ejus vice, affumi debent flores sulphuris; *magnesia* per se, vel cum radice Ponticâ conjuncta; linctus e sena, cui insunt pulvis *jallopae*, et *cremor tartari*. Quinetiam, radicem Ponticam subinde interdium commanducare, utilissimum est; quia non solum alvum leniter movet, sed etiam appetitum.

4. Denique, eodem (civ. 1.) fine, licet desiderium alvi nullum sit, ii, qui ex imbecilli stomacho laborant, statuto quotidie tempore desiderere debent. Tardâ enim naturâ, sic per complures dies aut hebdomadas sollicitatâ, haud raro, ut JOANNI LOCKIO, armigero, accidit, alvus,

etiam non imperante voluntate, tandem consuecit faeces quotidie horâ solitâ dejicere *.

CONSILIUM TERTIUM.

CV. Duabus tripartitae (LXXXV.) curationis partibus, pro virili, absolutis, restat nobis, ut tertiam itidem persequamur, cujus finis est amissum ventriculo vigorem restituere.

CVI. Hoc (CV.) consilio, acida fossilia assumenda sunt, quia non solum leviter stimulant tardum et languidum stomachum, et obstant quò minus ejus contenta fermentescant, sed etiam ei bene conveniunt.

CVII. Haud ita pridem periculo compertum est, acidum e re terrâ genitâ, subjecto igne, elicatum,

* Vid. НАХВ. Disput. Med. Inaug. de Consuetudine, EDIN. ann. M, DCC, XCV. § XCV.

elicitum, neque in stomacho ad coalescendum aptum, etiam fossilibus praepollere. Hoc medicamentum, cui plerumque nomini est *aqua picea*, etiam si ejus efficacia in majus celebraretur a BERKELEIO *, qui scriptis id laudibus tollebat, necnon a PRIORE, et aliis; tamen CULLENUS ipse confitetur, et idem propriâ experientiâ novimus, haud rarò multùm prodesse, et stomachum confirmare, et omnia curare mala, quae secum *dyspepsia* affert †.

CVIII. Amara, ex iis quae terra parit, cùm et roborent et astringant, multùm, si peritè et prudenter adhibeantur, ad ventriculum firmandum pollent. Lignum *quassiae* palato gratum est, et stomacho bene sedet. *Columba* etiam, radix *gentiana*, et chamaemeli flores, multùm proficiunt. His identidem adjiciatur cortex aut *aurantiorum*,

* Vid. Libell. cui nomini est *Siris*, p. 6, 41, 42, et passim. edit. II.

† Vid. CULLEN. *Mater. Med.* vol. II. p. 334.

rantiorum, aut cinnamomi, aut *angusturae*. Haec enim illa non solum minus ingrata reddunt, sed etiam vi stimulatrice virtutes illorum adjuvant.

CIX. 1. *Cinchona* verò aliis omnibus, terrâ natis, praepollet vi roborandi; et iis, qui ex stomacho dissoluto laborant, adhiberi debet cum *magnesiâ* conjuncta *. Hoc remedium, acorem obtundendo, simulque alvum leniter aperiendo, hujusmodi aegris insigniter proficit.

2. Quòd si, ut interdum accidit, *cinchona* pulvere stomacho parùm conveniat, efficiendo ut contenta fermentescant; tum, vice pulveris, assumenda est aqua cocta ex eâ, vel aqua frigida ex eâdem, vel liquores ardentés ex eâdem, vel vis ejusdem apto quolibet ministro educta.

CX. E genere amarorum aliud est, quod HOMIUS, ut certiores nos facit, interdum cum fruc-

tu

* Vid. SKEET. *Essay on Peruvian Bark.*

tu adhibuit; scilicet bilis bubula, usque ad octavam partem vaporando conspissata. Hujus drachmae dimidium, bis terve in diem, dare mos est*. Quid possit hoc medicamentum, compluries periclitati sumus; sed, quoad percipere potuimus, nihil omnino profuit. Quinimo, in exiguis etiam dosibus, alvum liquavit.

CXI. In continuato amarorum usu minimè nimis diu perseverandum est. Nam, ut vis carnosarum animalium fibrarum, usque ad certum gradum, neque plùs ultra, intendi potest; sic perseverantior roborantium medicamentorum usus eam non modò non ultrà intendit, sed etiam remittit. Rem ita esse, fatìs supèrque ostendit *pulvis Portlandicus*.

CXII. Praeparata complura e ferro, quippe quibus, ut putant plurimi, imprimis SYDENHAMUS, insit peculiariter ferme roborandi facultas,

iis

* *Praelect. Clinic.* ann. M,DCC,XCIV-V.

iis adhibere, qui, prae ventriculi infirmitate, escas malè concoquunt, diu usitatum est.

CXIII. Ferrum, *acido vel carbonico vel sulphurico* solutum, cui nomini *aqua mineralis* est, gratum profectò est medicamentum. Commodum verò, quod ex hujusmodi aquam, ubi fontibus sponte exsilit, bibendo infirmi faciunt, non tam forsitan ipsi aquae tribuendum est, quàm aëri salubri, exercitationi, animi tranquillitati, laeto convivio, quibus ibi fruuntur.

CXIV. Exercitatio, porrò, pars regiminis est, unde infirmi, imprimis stomacho imbecilles, insignè commodum faciunt. Neque profectò hoc mirum est; cùm praesertim ignaviâ solâ haud rarò stomachus infirmus et concoctioni impar reddatur. Verùm enim verò, exercitatio quotidiana et modica, non solùm ad incolumitatem et animi et corporis necessaria est; sed etiam, contra morbos plurimos, quibus pedetentim vires labefactantur,

labefactantur, plurimum valet. Musculosas fibras flexibiles simulque validas reddit; et sic, universo corpore confirmato, facit, ut homo optatâ valetudine fruatur, et novo interdum superbiat vigore.

CXV. Quinetiam, motus, in quos, dum exercitamus, muscoli rapiuntur, concitando motionem cordis et arteriarum, et sic sanguinem in extremum corpus enixius impellendo, cutis exhalationem elicit. Quo facto, confirmatus ob consortium, quod ei est cum summâ cute, ventriculus, cibos cupidius appetit, et melius concoquit assumptos; simulque calor corporis, antea, prae languido sanguinis motu, justo remissior, salubriter intenditur.

CXVI. Ex ambulatione, qua in extremitates inferiorum sanguis impellitur, omnia haec (CXIV.-CXV.) commoda plerumque percipiuntur. Quod si aeger adeo fit debilis, ut, sine defatigatione,

fatigatione, aliquantisper ambulare nequeat, eum, ejus vice, gestatione vel potiùs fortasse equitatione quotidie uti oportet. Motione etenim, quam equitando totum corpus concipit, nihil, ut fert HUXHAMUS, plùs valet ad discutiendos morbos, e quibus abdominis viscera solent laborare*. Intelligendum autem est, equitationem, illico post ventriculum cibis et potionibus gravatum, tantùm abesse ut profit, ut concoctionem ferè semper, plùs minùs, impediat.

CXVII. Navigatione, etiamsi exercitatio levis et aequabilis sit, tamen saepenumero uti nequimus, ob plurima incommoda, quae secum affert.

CXVIII. I. “ Denique omnis exercitatio at-
 “ que gestatio sub pleno Jove, et in aëre puro,
 “ et sicco, et frigidulo, fieri debet. Bonus enim
 “ aër

* Vid. HUXHAM. *Opuscul. de Morbo Colico Dammonie-*
rum, p. 38.

“ aër ipse inter efficacissima roborantia remedia
 “ jure habetur *.”

2. “ Purus praeterea aër corpus reficit atque
 “ refrigerat, vires fortasse multùm labefactas
 “ confirmat, cibi appetitum, et concoctionem
 “ juvat †.”

CXIX. 1. Frigidarium, ad confirmandum
 corpus, multùm pollet, et in quotidiana ejus
 descensione, per longum tempus, nullo hinc
 capto detrimento, perseverari potest. Multùm
 utique proficit iis, qui stomacho infirmi sunt,
 dummodo vires longâ invaletudine nondum per-
 quam defluxerint. Propter enim miram omni-
 um corporis partium consortionem et quasi com-
 munitatem, quantùm prodest summae cuti, tan-
 I tùm

* Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* tom. II §
 1117.

† Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* tom. II. §
 1038.

tum intimis et reconditioribus visceribus. Morbidam irritabilitatem, quae eorum communis est, qui stomacho imbecilles sunt, insigniter hebetat; simulque delicatam eorundem corporis constitutionem firmam reddit.

2. Temperie utriusque eâdem, utrùm plùs prodest frigidarium, aquâ marinâ; an frigidarium, aquâ dulci?

CXX. Frictio externi abdominis e regione ventriculi, utpote quae vasa cutis incitet, et, ob consortium (CXIX. 1.) partium, ea itidem ventriculi ipsius, iis, qui malè concoquunt, commodum afferre videtur. Revera prodesse, periculo comperti sunt TISSOTIUS*, WHYTTIUS †, et RUTHERFORDIUS ‡,

CXXI.

* Vid. TISSOT. *On the Diseases of Liter. and Seden. Persons*, § LXXXIV.

† Vid. WHYTT. *On Nervous Diseases*, p. 357. Edit. Ed. M,DCC,LXV.

‡ RUTHERFORD. *Praelect. Clinic.* ann. M,DCC,XCIII. IV.

CXXI. Ob eundem partium inter se consensum, per quem prodest frictio, stomacho marcescentibus proficeret, lanæ cuti proxima, a capite usque ad calcem, habere. Contrà quidem diei potest, lanæ cuti proxima alvum astringere, ut ab omnibus concedendum est, qui, quantum possint ad solutam alvum firmandam, animadverterint; ideoque, quantum profunt unum malum levando, tantum nocere gravius reddendo aliud. Nihilo verò minùs, cùm, ne alvus tardescat et astricta fiat, praecavere possimus idoneis emollientibus, ex laneis cuti proximis expectandum potiùs esse commodum, quàm malum timendum, opinamur.

CXXII. Oportet eos, qui ventriculi invaletudine marcescunt, migrare, primo quoque tempore, in regiones, ubi caelum siccum est et calidius. In BRITANNIA verò, salubrem hujusmodi locorum perennitatem invenire, arduum est. Cùm ita sit, a BRITANNIS, qui, prae stomachi

machi dissolutione, e mala escarum concoctione laborent, quotannis, appropinquante hieme, in regiones propiore sole calentes, et ferentiores habentes dies, demigrandum est.

CXXIII. Animus demissus malam concoctionem saepe comitatur, neque profecto, illo contristato, haec potest sanari. Cum ita fit, plurimum interest, e stomachi invaletudine laborantibus animos, quotquot potest modis, tollere.

CXXIV. Hunc in (CXXIII.) finem, qua mente et indole fit aeger, introspicere et pertentare medicum oportet. Quibus perspectis, ei, quantum possit, mos gerendus est. Laeto quoque mali exitu praedicto, eum confirmare, et ad spem sanitatis erigere, perutile est: nam, utcumque re leve id sit malum, de quo aeger conqueratur, tamen neutiquam nihili habendum est a medico.

CXXV.

CXXV. Quinimo, eodem (CXXIII.) consilio, multum proficiet iis, stomachi invaletudine tristiculis, immiscere se rei alicui, quae, dum animos occupat, non nimis intendat. Nam melius est, semper pro oculis habere aliquid expectandum, quod labore consequantur, quam occupari, quo modo nihil profus utile agendo brevis eheu! nimis vitae summa praeterlabatur.

CXXVI. Serijs rebus intermissis, animus identidem relaxandus est ludo, joco, aliisque oblectamentis. Haec enim animum, qui feriis fatifecerit, multo magis recreant, quam ignaviâ languidum et demissum. Intelligendum autem est, omnia, quibus remittatur animus, plus profutura, si sint sub pleno Jove, et simul, velut aucupatio, venatio, equitatio, dum, novis deinceps oblatis, mentem in varias rapiunt partes, corpus mediocriter exercent.

CXXVII. Eorum, porrò, interest, quibus stomachus resolutus et languidus est, rationem habere,

habere, et quando et quamdiu dormiant. Quòd ad tempus enim, quo somnus capitur, intelligendum est, fomno, quem, a media nocte ad octavam horam ante meridiem, aliquis capit, vires non aequè refoveri, ac eo, quo fruitur a decima hora nocturna ad quintam matutinam.

CXXVIII. Quare ita (CXXVII.) fit, forsitan potest eo explicari, quòd febricula, qua etiam sanissimi quotidie plùs minùs implicantur, aliqua ex parte, arcetur somnum primâ nocte inundo; et, primulo mane, expergiscendo vitantur debilitas ea et laxitas, quibus somniculosi afficiuntur*.

CXXIX. Succo *gastrico*, ut iis accidit, qui a stomachi invaletudine laborant, vel deficiente vel vitiato, ejusdemmodi succus aliorum animalium, in ventriculum assumptus, ejus vice, ad
tempus,

* Vid. A. P. WILSON. Dissert. Inaug. *De Dyspepsia*, p.

tempus, fungi potest. Hoc probabilissimum reddit id, quod literis prodidit CARMINATIUS, medicus ITALICUS; qui, plurimis medicamentis, quibus *Dyspepsiam* sanaret, frustra adhibitis, tandem induxit in animum periclitari, quid succus aliorum animalium *gastricus*, contra eandem, posset. Periculo facto, res ad spem processit: nam aeger primùm levatus est, deinde ad sanitatem perductus.

CXXX. Etiam si de medicamentis fusè dixerimus, tamen, ut nobis videtur, eos, quorum ventriculi concoquere nequeunt, ad ea, ut ad concoctionem valeant, neququam, nisi cùm urgeat necessitas, confugere oportet. Quinimo, si quando ea assumere opus sit, caveat aeger, ne multo eorum usu sibi indulgeat, aut diuturno perseveret; nam, licèt praesentia mala levant, tamen efficiendo, ut ingravescat prima causae origo, committunt, ut, haud multò post, graviora superveniant.

CXXXI. Cùm ita (cxxx.) fit, ii, quotquot, prae ventriculi invaletudine, escas concoquere nequeant, a medicamentis, nisi ubi urgeat necessitas, abstineant; et quàm possint maximè dent operam, ut diaetâ idoneâ, aëra purum et frigidulum hauriendo, sese quotidie exercitando, in frigidarium uno alterove die descendendo, omnibus simul causis, quae occasionem praebeant, sedulò vitatis, primam mali originem stirpitùs tollant.

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

§ XXIV. lin. 2. pro *epigastrei*, lege *epigastrii*,
 XLVIII.—11. pro *nequunt*, lege *nequeunt*,
 XCVI.—3. pro *GAUBUS*, lege *GAUBIUS*,
 Cl. 1.—1. pro *Vomitùs*, lege *Vomitùs*,—